

media, sed ille inualescentem eiusdem vim sentiens, patrem compatremque suum longe dilectissimum, venerabilem virum, HENR. BECKERVM, Cathedralis aedis, D. Iacobo olim sacratae, antistitem primarium et ministerii Rostochiensis hodie presbyterum protinus aduocari petiit, ab eodemque post ingenuam delictorum confessionem, quibus non immunem extitisse se, sed maximum coram diuina maiestate peccatorem fuisse professus est, absolutus, sacratissimo Dominici corporis sanguinisque epulo, quod, quoad vsque vel reperere potuit, aliis ne offendiculo esset, publica in aede deuotissime accepit, relictus est. Quibus rite sancteque peractis per potioem sequentis Aprilis mensis partem atrocissimis plerumque cum doloribus conflictatus optimus senex, vehementi et sonora voce vel millies ingeminavit:

Mein GOTT und Vater, steh mir bey,
Und starcken Trost und Hülff verleyh,
Laß den ja nicht, HERR IESU CRIST,
Der mit dem Blut gewaschen ist.

Im Frieden laß mich schlaffen ein,
Und in dir haben Ruhe fein.

Dein Antlitz laß mich sehen, HERR,
Ein seligs Ende mir bescher,

So will ich loben allezeit

Dich, o HERR GOTT, in Ewigkeit.

Quas et indefinenter deuotissimasque preces supremum in coelis Numen exaudiuit. Per octo enim et amplius dies nullos plane dolores sensit, laetusque extrema sua et composita mente expectauit,
post-